Quelle: https://manuscripta.at/?ID=232
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



besti. Immitta in eos in furore irae tua super eos atq;
serpentum. Foris pastabit eos gladius et intus pauor iu-
uenem simul ac virginem lactentem cum homine sene. Et dixi
ubi nam sunt cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Sed
propter iram inimicorum distuli ne forte superbirent hostes eorum
Et dicerent manus nostra excelsa et non dominus fecit hec omnia
Gens absq; consilio est et sine prudentia utinam saperent
et intelligerent ac nouissima prouiderent. Quomodo persequeba-
tur unus mille et duo fugarent decem milia. Nonne ideo
quia dominus suus uendidit eos et dominus conclusit illos. Non enim
est deus noster ut deus eorum et inimici nostri sunt iudices. De uinea
sodomorum uinum eorum et de suburbanis gomorre. Uua
eorum uua fellis et botrus amarissimus. Fel draconum
uinum eorum et uenenum aspidum insanabile. Nonne hec
condita sunt apud me et signata in thesauris meis. Mea
est ultio et ego retribuam eis in tempore ut labatur pes eorum
Iuxta est dies perditionis et adesse festinant tempora
Iudicabit dominus populum suum et in seruis suis miserebitur
Videbit quoniam infirmata sunt manus et clausi quoque de-
fecerunt residui quoque consumpti sunt. Et dicent ubi sunt deus eorum
in quibus habebant fiducia. Qui comedebant adipes et bibebant uinum libaminum surgant
et opitulentur uobis et in necessitate uos protegant
Videte quoniam ego sum solus et non est alius preter me. Ego occidam
et ego uiuere faciam. Percutiam et ego sanabo et
non est qui de manu mea possit eruere. Leuabo ad
celum manum meam et dicam viuo ego in eternum. Si acuero
ut fulgur gladium meum et arripuerit iudicium
meum manus mea. Reddam ultionem hostibus meis et his qui oderunt
me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine et
gladius meus deuorabit carnes. De cruore occisorum